

## CAPUT IV.

## DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM

Obligationes, quae alios Superiores aut inferiores respiciunt, eadem servata proportione sunt generatim, ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca tantum dicemus 1<sup>o</sup> de obligationibus dominorum et famulorum; 2<sup>o</sup> magistrorum et discipulorum; 3<sup>o</sup> civium erga temporalem auctoritatem.

De officiis autem Parochorum et aliorum Superiorum ecclesiasticorum in *Tractatu de statibus particularibus*, ubi de statu clericali agetur.

## ARTICULUS I. — DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM

## §. I. De obligationibus dominorum.

382. — Domini tenentur famulos suos 1<sup>o</sup> benigne tractare; 2<sup>o</sup> instruere et corripere; 3<sup>o</sup> iustum pretium eis solvere.

I. *Benigne tractare*, id est decenter et humane eos alloquendo, eisque praecipiendo, bona et sufficientia alimenta praestando, nimis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando. Constat ex iure naturali, et ex Scriptura sacra, *Eccli. 33. 31. : Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta. — Ephes. 6. 9. : Et vos, domini, eadem facite illis (servis), remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum.*

II. *Instruere et corripere*: dominus enim est caput famuli, sicut totius familiae: ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli, *1. Tim. 5. 8. : Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter domesticos reputantur. — Elhel, n. 590., et alii communiter.

III. *Iustum pretium solvere*: agitur enim de obligatione iustitiae et aequitatis naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in caelum clamantia recensetur.

**Resolves.** — Peccare, et quidem etiam graviter, possunt domini.

1<sup>o</sup> Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta Fidei christianae, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non caveant, ut tempore debito confiteantur et communicent.

2<sup>o</sup> Si conducant, vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si peccantes graviter non moneant et corrigant, aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

3<sup>o</sup> Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant.

4<sup>o</sup> Si stipendium promissum aut iustum non solvant, aut nimis differant; si famulos aegrotos non curent, eosque statim expellant, vel absque iusta causa ante praefixum tempus dimittant.

## §. II. De obligationibus famulorum.

383. — Tenentur famuli praestare dominis

1<sup>o</sup> *Reverentiam*; sic enim Apost. *1. Tim. 6. 1. : Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominos irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2<sup>o</sup> *Obsequium et obedientiam* in iis omnibus ad quae se obligarunt vi contractus, et in iis quae spectant ad bonos mores; sic *Ephes. 6. 5. : Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. — Et 1. Petr. 2. 18. : Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

Hinc ratione materiae peccant plus minusve, qui cum aliquid eis praecipitur, obmurmurant, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt praeceptum laborem peragere, aut cum damno domini pro se laborant; et uno verbo ii omnes qui obsequium non praestant, quale ordinarie a talibus exigi et praestari solet.

3<sup>o</sup> *Fidelitatem*; iuxta verba Pauli ad *Tit. 2. 9. : Servos dominis suis subditos esse..., non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.*

Hinc peccant et saepe graviter contra iustitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita, surripiunt sive ad manducandum sive ad extraneis dandum aut vendendum.

## ARTICULUS II. — DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM

384. — I. Magistri et praeceptores debent discipulis

1<sup>o</sup> Amorem, 2<sup>o</sup> exemplum, 3<sup>o</sup> correctionem, 4<sup>o</sup> doctrinam. Ratio est, tum quia ad instar parentum quodammodo se habent, tum quia instituuntur ad erudiendos discipulos in sana doctrina morum et litterarum.

Debent igitur 1<sup>o</sup> sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; 2<sup>o</sup> promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est; 3<sup>o</sup> eos avertere, quantum possunt, ab aliis, qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent.

Hinc praeceptores delinquere possunt etiam graviter, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos iniuste vel indiscrete puniunt; sed praesertim si eosdem seducant, ad peccata, v. gr. carnalia impellendo; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos admittant vel retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc.

385. — II. Discipuli tenentur exhibere magistris

1<sup>o</sup> *Amorem et reverentiam*, ob superioritatem et curam eorumdem.

2<sup>o</sup> *Obedientiam*, dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet: hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et praecepta magistrorum.

Hinc peccant discipuli, si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum; multo autem gravius, si magistris detrahant, eos irrideant, subsannent, maledictis, calumniis, molestiis afficiant, etc.

ARTICULUS III. — DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA CIVIUM  
ERGA TEMPORALEM AUCTORITATEM.

386. — Ex iure naturali et divino positivo tenemur titulo *pietatis* reverentiam et obedientiam Superioribus nostris civilibus praestare. Vices enim Dei ipsius in ordine temporali erga nos gerunt. Sic enim Apost. ad Rom. XIII. 1. et seq.: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Dei enim minister est (Princeps), vindex in iram ei, qui malum agit. — Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quamobrem Catechismus Concilii Tridentini huiusmodi obligationem cum ea comparat et coniungit, qua erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam obstringimur. Etenim part. III. de IV<sup>o</sup> mandato, §. 15. postquam docuit, parentes et Superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit: *Item de Regibus, de Principibus, de Magistratibus, et reliquis, quorum potestati subiicimur, dicendum est. Sic autem id explicat: Nam si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus; quia divinae potestatis est instar: in quo etiam Dei providentiam veneramus, qui publici muneris procuracionem iis attribuit, quibusque utitur tanquam potestatis suae ministris. Constat etiam ex Scriptura sacra, praesertim 1. Petri II. 13., ubi dicitur: Subiecti igitur estote omni humanae creaturae pro-*

*pter Deum; sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis... Et ibid. 17... Regem honorificate. — Vide etiam S. Iustini Apol. 1. 17. — S. Theophili Antioch. ad Autol. lib. 1. c. 11. — S. Clem. Const. c. 12. — Tertull. ad Scap. c. 2. — S. Gregorii Naz. Or. 17. — S. Chrys. Hom. 6. ad Ant. — S. Irenaei adv. Haeres. I. V. 24. — S. Augustini in Ps. 124. n. 7., et de Civit. Dei, I. V. 10. 11. 14. 15. — Confer etiam Litteras Encyclicas Gregorii XVI et Pii IX.*

387. — *QUAER. An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?*

*Resp. Doctrina S. Scripturae, Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, Catechismi Concilii Trident., S. Ligorii Hom. apost. tr. 8. §. 13., et etiam Encyclicae Gregorii XVI, 15. Aug. 1832. quae totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quaestionem resumitur potest.*

Ad 1<sup>um</sup> Sicut evidens est, nunquam obediendum esse auctoritati humanae in iis, quae evidentiter contra legem Dei sunt, ita in iis, quae per se licita sunt, est omnino obediendum Principibus ETIAM DYSCOLIS, et illis quoque, qui auctoritate sua abutuntur. Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et traditione, ait Gregorius XVI in Brevi 9. Iunii 1832. apertissime edocemur, obedientiam, quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest.

Ad 2<sup>um</sup> Nunquam omnino licitum est rebellare. *Nimis perniciosum in hac re, ait S. Liguorius, fuit principium Ioannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione iudicari, si regnum iniuste regat... principium, inquit, non tantum falsum, sed perniciosissimum... At quale remedium adest, si regimen Principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit, ait S. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium praebeat. — Hom. Apost. tract. 8. n. 13.*

*Sed (ait S. Thomas) ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem. De Reg. princ. lib. 1. c. 6. — Vide praesertim Epistolam Encycl. Gregorii XVI, 15. Aug. 1832. (1).*

(1) Confirmantur haec ex artic. LXIII. Syllabi praecipuorum nostrae aetatis errorum, a SS. D. N. Pio PP. IX proscri-  
ptorum, qui sic legitur: *Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.*